

1761r.

Vectigal portus Gedanensis -----

Scriptum civitatis Gedanensis sub
titulo : Zulaga Gedanensium. ---
reputatur - Varsaviae 1761.

504 5169
VECTIGAL
PORTUS
GEDANENSIS

DIMIDIA EX PARTE

SERENISSIMIS POLONIÆ REGIBUS

ASSERTUM

SIMUL SCRIPTUM CIVITATIS GEDANENSIS

SUB TITULO:

ZULAGA GEDANENSIVM

CIVITATI AB ORDINIBUS ASSERTA

SOLIDE REFUTATUR

VARSAVIÆ

MDCCLXI

V E C T I G A L

P O R T U S

G E D A N I S I S



D I M I D I A E X P A R T E

S M A R T H S I S P O L O N I A E R E G I B U S

A S S E R T U M

S A M U E L B O C H T E M C O M I T A T I S G E D A N I A N S I S

S U B T I T U L O

E U L I A N A G E D A N I A N S I U M

C O M I T A T I S A B O R D I N I B U S A S S E R I A

S O L I D E E R I T A T U S

V A R S A V I A

XVIII. 2. 889.



Ontroversia, quam Gedanenses cum Serenissimis Poloniae Regibus, suis Dominis supremis, ob vectigal a ciuitate Gedanensi additum, vulgo *Zulaga* dictum, habuerunt, nihil plane noui est, vt ex historia patet, multo minus ciuitas Gedanensis usum huius vectigalis tranquille percepit, alioquin ob id postulata non tam saepe fuissent a Regibus delata, neque ciuitas habuisset opus, varias pecuniae summas conficere, iisque ad remittenda haec postulata placare Poloniae Reges. Minime haec controversia *lis dudum iam sepulta* dici potest, quia & regnante Serenissimo pia memoriae Rege AUGU-



STO II. idem postulatum fuit renouatum, deinde vero, cum ciuitas Gedanensis certam pecuniæ summam numerarit, *decretum abolitionis* singulari ex gratia interpositum fuit. Hæc cum ex historia nota sint, neque Gedanensis ciuitas affligitur, multo minus illius ius vetustissimum, quod re vera secundum Regni Poloniæ & terrarum Prussiæ leges, nunquam existeret, locessitur, quando Regia nunc aula ad obtinendam dimidiam tantius vectigalis portus Gedanensis partem ius suum optimum & retinet & persequitur.

Hæc controversia omni ex parte perspicua redditur explicatione sequentium quatuor punctorum.

Primum: *quid sit vis & natura sua, Zulaga, vel vectigal additum,*

Secundum: *quid pecunia subsidiaria Gedani significare possit?*

Tertium: *Vtrum ciuitas Gedanensis vnquam iure gauiisa fuerit, zulagam, vel vectigal additum, mercibus imponere & pro suo usu percipere.*

Quartum: *Cum ciuitas Gedanensis contra leges hoc vectigal mercibus imposuerit perceperitque, ad quem secundum leges id & æquitatem pertineat?*

Punctum



Punctum primum: *quid sit vi & natura sua zulaga, vel vectigal additum?*

Zulaga, seu vectigal additum est pecunia, quæ ob merces in portum Gedanensem aduectas, vel ex eo euehendas, & quibuscum mercaturam faciunt, penditur a mercatoribus iure ciuitatis Gedanensis gaudentibus.

Portorium seu *Pfalgeld*, pariter est pecunia, quæ ob merces in portum Gedanensem aduectas, vel ex eo euehendas, quibuscum mercaturam faciunt, penditur, a mercatoribus plerumque peregrinis.

Portorium igitur, seu *Pfalgeld*, & vectigal additum, seu *zulaga*, ambo sunt tributa, quæ ob merces in portum Gedanensem aduectas, vel ex eo euehendas, quibuscum mercaturam faciunt, eodem tempore secundum taxationem soluuntur. Exempli gratia: pro dolio maiori (*Oxhöft*) aceti Hollandici penduntur sub nomine portorii, 40. grossi monetæ Prussicæ, vectigalis additi vero, decem floreni monetæ Prussicæ, simul vndecim floreni, & decem grossi.

Hæc tantum inter *portorium* & *zulagam* est differentia respectu solutionis, quod *portorium* a mercatoribus peregrinis, *zulaga* vero plerumque a mercatoribus Gedanensibus, iure ciuitatis gaudentibus, solua-



tur. Infra vero patebit, num hæc respectu solutionis differentia proprietatem vectigalis immutare possit.

Nemo facile sibi persuadebit, quod hæc tributa, quæ ob merces per mare aduectas, vel trans mare euehendas, quibuscum mercaturam faciunt, solvuntur, haud vectigalia dici debeant, cum sana potius ratio doceat, eiusmodi pecunias, ob merces per mare aduectas, vel trans mare euehendas, solutas, quasque mercatores Gedanenses aliis iterum variis in ciuitatibus & provinciis vendunt, eiusdem esse naturæ & vera vectigalia, & planemihil ad rem facere nomina, si ea vel *tributi*, vel *portorii* seu *Pfalgeld*, vel *zulagæ*, vel *Umgeld*, vel *Pfundzoll*, & quocunque nomine, denotes.

Sole meridiano clarius est, quod mercium pretium a mercatoribus secundum proportionem sumtuum vectigaliumque constituatur, & ultimus, qui merces illas pro suo consumit usu, omnia vectigalia sumtusque, quas in illas merces, vsque dum ad eum peruenerint, fuere erogati, soluere debet. Atqui hoc minime proprietatem vectigalis immutat, si id mercator peregrinus in Hollandia & Anglia, vel mercator Gedanensis soluat, & si vectigal illud pendens iure ciuitatis Gedanensis gaudeat, vel non gaudeat. Eiusmodi enim tributa,



buta, quæ Latine vectigalia dicantur, semper ab ultimo merces consumente, penduntur, quia imponuntur mercibus, & in hoc ab aliis tributis, non vectigalibus, vnice differunt, cum hæc indigenas, mercium bonorumque possessores, tantum afficiant, haud externos.

Nemo forte Gedanensium erit tam audax, vt aliis persuadere velit, quod mercatores Gedanenses, *zulagam*, vectigal a ciuitate additum, & ordinarium, legibus firmatum, in triplo superans, soluentes, hanc pecuniam suis ex facultatibus, sine impositione in merces, pendant.

Quod si vero hoc faciant, merces alia in loca mittentes, tunc ibi, vbi merces illæ consumuntur, proprie *zulaga* soluitur, mercator vero iure ciuitatis Gedanensis gaudens, neque vectigal ordinarium, seu *Pfalgeld*, neque vectigal additum, seu *zulagam*, ob mercimonia, alia in loca missa, soluit, quia hæc vectigalia pro tempore tantum erogat, & deinde cum vsura iterum recipit ab eumentibus. Aliter certe seres haberet, si sic dicta *zulaga* tantum a ciuibus Gedanensibus ob mercimonia Gedani consumpta, neque alijs in locis vendita, solueretur, & tunc *zulaga*, pecunia ciuium Gedanensium subsidiana dici vere posset, quia a solis ciuibus Gedanensibus soluitur. Logomachia vero, & machina-

tio



tio damnanda est, quando vectigal, mercibus, cum quibus mercaturam faciunt, secundum taxationem impositum, haud tamen vectigal esse contendunt, ideo quia pars ciuium Gedanensium, mercatores nempe, id ad tempus sub alio nomine soluunt. Sed neque hoc semper verum est. Mercator enim in Hollandia, qui emporium Gedani habet, virumque negotia eius gerentem, verbi gratia, Anabaptistam, qui haud iure ciuitatis Gedanensis gaudet, æque bene sic dictam *zulagam* soluit, tamquam exter, ac ciuis mercator Gedanensis. Nam Anabaptista mercatoris in Hollandia negotiagerens, & vectigal ordinarium, seu *Pfalgeld*, & vectigal additum a ciuitate, *zulagam*, in rationes refert, & re ipsa mercator Batavus soluit sic dictam *zulagam*, qui ex illius quantitate mercium determinat pretium. Mera ergo sunt stratagemata, cum ciuitatis Gedanensis auctoritate vectigal additum, seu *zulaga*, hanc ob causam non esse vectigal Gedanenses contendunt, quia *zulaga* appellatur, & plerumque eam a ciuibus Gedanensibus numerare iubent.

Ex his satis clare apparet, totum auctoris tractatum sub inscriptione: *Zulaga Gedanensium ciuitati ab Ordinibus asserta*, niti errore, dum vectigal maritimum, *zulaga* dictum, haud vectigal esse contendit, cum tamen dicta *zulaga* minime a vectigali maritimo differat, nul-
loque



loque modo pecunia civium subsidiaria (hülfgeld) dici possit, id quod perspicue ex sequentibus patebit.

A rei etiam veritate abhorret, quando auctor memorati scripti dicit: *Portorium, seu Pfallgeldum, proprie pro vectigali non fuit habitum, quare mansit, cum Casimirus, recepta in ditionem Prussia, in privilegio incorporationis, „ omnia telonia in aquis & terra, nova „ & antiqua observantia, quomodolibet constituta, tollere „ levare. „* Quasi Dominus supremus, non omnia telonia abrogare, vnum vero, vt subsistat, permittere potuisset; prout Rex Casimirus respectu portorii re ipsa fecit. Vel vectigal, seu portorium, Germanice *Pfallgeld*, etiam haud vectigal dicendum, quia institutum ad servandum tuendumque portum, in quam rem, palis, (*Pfäle*) opus erat. Vel *pfalgedum* proprietatem vectigalis amittit, quia Casimirus Rex non expressis verbis id vectigal maritimum, sed pecuniam, *pfalged* vulgariter appellatam, vocat? Eiusmodi argumentis ponderosis aliis persuadere conantur, quod neque *Pfallgeld*, neque *zulaga*, vectigalia sint, id quod tamen omnes computationum libri mercatorum Batavorum, Anglorum, Hamburgensium, aliorum, refutant, qui parum nomina vectigalium Gedanensium curant, probe vero norunt, quod vectigalia, verbi gratia, pro viginti quatuor libris sacchari, 17. grossos monetae Prussicae, nempe *Pfallgeld* 5. gr. & *zulaga* 12. gr. efficiant.

B


Cetero



Ceteroquin auctor *zulagæ Gedanensium ciuitati ab Ordinibus assertæ*, bene dicit: *antiquius ciuitatum Hansæaticarum Pfundzoll, veram esse matrem zulagæ Gedanensis*. Non omnis vero præter auctorem tam facile comprehendit, quomodo fieri possit, vt filia alius sit generis, quam mater. Quod si *Gedanensium zulaga* iterum mater facta & enixa fuerit, extra dubium positum esse videtur, & illam prolem ad vectigalium familiam pertinere, quamuis & *Umgeld* fœtum istum appellent.

Punctum secundum: *quid pecunia subsidiaria (Hulfgeld) Gedani significare possit?*

Hoc optime ex privilegio Regis Casimiri de pecuniis subsidiariis (*von den Willkühren und Hülfgeldern*) explicari poterit, vi cuius ciuitati Gedanensi potestas concessa est, *ex consilio, scitu & voluntate prudentissimorum primæriorumque ciuium*, intra suas ciuitates, *secundum temporis rerumque rationem, pecunias subsidiarias quibusvis facultatibus & mercibus, omnibusque rebus, tam sæpe, ac in suam suarumque ciuitatum necessitatem & usum id opus iudicarint, imponendi & abrogandi*, vel vt verba autographi, idiomate Germanico sonant: *mit Rathe, Wissen und Willen der Witzigsten u. fürnehmsten Bürgern, binnen ihren Städten, nach Heißunge der zeit u. Sachen, Hülfgelder von allerley gütter u. Kaufenschaft*
u.



und allen Sachen und Dingen, wie ofte und dicke sie zu ihrer u. ihrer Städte Nothdurft Nutze und Frommen erkennen werden, aufsetzen und nieder legen.

Vi huius privilegii ciuitas Gedanensis pecunias subsidiarias imponere & abrogare potest, *intra ciuitatem*, hoc est, ciuibus suis, quibus ius dicit, id quod aliter nemo explicare poterit. Cum igitur Rex Casimirus perspicue præscripserit, quod pecuniæ subsidiariæ ex consilio & scitu prudentissimorum primariorumque ciuium, *intra ciuitatem* imponi debeant, satis clare inde patet, pecunias subsidiarias nil aliud, quam tributa extraordinaria ciuium Gedanensium, quæ ipsi ob bona *intra ciuitatem*, in illius usum, propriis ex facultatibus pendunt, significare posse. Quando igitur ciuitas Gedanensis in ciuium suorum bona, domus, fundos, omnesque merces, quæ *intra ciuitatem* consumuntur, sit caro, panis, farina, pannus, corium, saccharum, reliqua, immo in eorum capita, tributa, seu pecuniam subsidiariam, (*Hülfgeld*) imponit, tunc ciuitas nunquam in huius iuris exercitio turbata fuit. Sic dicta autem *zulaga* neutiquam pecunia ciuium subsidiaria appellari potest, quia est tributum mercibus, per mare aduectis vel euehendis, impositum, & cum quibus mercaturam faciunt.

Per hoc tributum igitur pretium mercium augetur

B 2

&



& ab illis tandem soluitur, qui eas pro vsu suo emunt, nullo modo autem a ciuibus Gedanensibus.

Minime ergo Gedanensium *zulaga*, pecunia subsidiaria, privilegio Casimiriano fundata, dici vnquam potest, quia vi illius tantum tributa omnibus suorum ciuium bonis & mercibus *intra ciuitatem*, nullo modo autem mercibus, cum quibus mercaturam faciunt, imponere possunt.

Cum igitur sole meridiano clarius sit, Gedanensium *zulagam* esse tributum, mercibus per mare aduectis & euehendis, cum quibus mercaturam faciunt, impositum, eaque re vectigal verum, *l. 17. §. 1. de V. S. l. 6. C. de Vectig.* Similiter manifestum est, frustra se ciuitatem Gedanensem priuilegio Casimiri tueri, cum contra sanam rationem, vectigal verum in pecuniam suorum ciuium subsidiariam (*Hülfsgeld*) mutare velit, cui idem Rex Casimirus sine Serenissimorum Poloniae Regum scitu & consensu vectigal irrogare expressis verbis prohibuit.

Ipsum illud Gedanensium privilegium principale ad explicandam hanc veritatem eo magis facit, quo minor sit suspicio, quod Casimirus Rex in dicto priuilegio contradicere sibi voluerit. Interdicit ciuitati, vectigalia & onera sine Regum scitu & voluntate, imponere, tamen sine derogatione privilegii Petricoviae dati, vel vt autographi verba sunt: *dem privilegio in der Stadt Petrikow*



*kow gegeben, unschädlich, und biemit mit nichten gebro-
chen.*

In priuilegio ciuitatis Gedanensis principali omnia vectigalia & onera sunt abrogata, ergo nullo modo fieri potuit, vt in Priuilegio Petricoviæ dato, idem Rex Casimirus, sine aperta contradictione ea permetteret. Sed ille in priuilegio Petricouienfi tantum permisit & confirmauit, vt pecunias subsidiarias *intra ciuitatem* suis ciuibus eorumque bonis imponere possint. Cum vero Gedanensium *zulaga*, non eiusmodi pecunia subsidiaria sit, prout in priuilegio Regis Casimiri Petricoviæ dato describitur, sed, vt demonstratum supra fuit, vectigal verum, certe ciuitas contra priuilegium suum principale peccauit, cum contra tenorem huius priuilegii vectigal, sub nomine *zulagæ*, indixerit perceperitque.

Tergiuersatio frustranea est, quando auctor commemorati scripti dicit: „ *Nec minus exemplum, proximo post priuilegium de pecuniis subsidiariis anno, ipsum priuilegium explicat, pecunia subsidiaria omnis generis mercibus terra & mari aduectis & euehendis irrogata.* „ E contrario potius hoc exemplum, proximo post priuilegium de pecuniis subsidiariis anno, ipsum priuilegium non explicauit, sed re vera fregit, cum contra sensum huius priuilegii omnis generis mercibus, terra & mari aduectis & euehendis, *pecunia sic dicta subsidiaria* imposita fuerit. Secundum hoc priuilegium, suorum



tantum ciuium bonis & mercibus, *intra ciuitatem*, vbi merces consumuntur, pecuniam subsidiariam imponere potuit, nullo vero pacto omnis generis mercibus terra & mari aduectis & euehendis, cum quibus mercaturam faciunt, id quod vectigal constituit.

Ex his dictis luce clarius est, pecuniam Gedani subsidiariam nil aliud, nisi tributum ciuium extraordinarium, eorum bonis & mercibus *intra ciuitatem* consumendis impositum, quodque proprias ciuium facultates, non illas, cum quibus mercaturam faciunt, afficere debeat, secundum privilegium Casimiri significare posse.

Cum igitur portus Gedanensis *zulaga*, nunquam pecunia ciuium subsidiaria dici possit, sed vi supra dictorum verum sit vectigal a ciuitate additum, eo facilius duo sequentia puncta enodantur.

Punctum tertium: *Vtrum ciuitas Gedanensis vnquam iure gauisa fuerit, zulagam, vel vectigal additum, mercibus imponere, & pro suo usu percipere?*

Cum *zulaga* sit vectigal a ciuitate Gedanensi additum, nulla est in hoc dubitatio, quod ciuitas Gedanensis iure vectigalia indicendi nunquam gauisa fuerit, quia claris ei verbis interdictum est, vectigal sine Regum Poloniae scitu imponere. Quod, si ergo vectigal irrogare

non



non potuit, multo minus id potuit pro vsu suo percipere.

Punctum quartum: *Cum ciuitas Gedanensis contra leges hoc vectigal mercibus imposuerit perceperitque, ad quem id secundum leges & æquitatem pertineat?*

Vectigalia imponere est REGALE, *l. vectig. 10. hoc tit. & tit. Cod: Vectigalia noua institui non posse.* Zulaga ergo, quam ciuitas Gedanensis mercibus, cum quibus mercaturam faciunt, sua auctoritate imposuit, & ab illo tempore, quo Serenissimus indulgentissimusque Rex Noster felicissime in Polonia regnat, percepit, secundum leges pertinet ad fiscum regium omni ex parte, & singularis erga ciuitatem Gedanensem indulgentia aulæ est, si dimidia tantum parte contenta esse, alteram vero partem dimidiam in ciuitatis vsu concedere velit. Aequum etiam est, vt ciuitas, *zulagam*, seu vectigal additum, vna cum Regibus suis, dimidia ex parte tantum, eodem modo ac portorium, percipiat, quia eiusdem naturæ sunt tributa, & ambo portoria. Semper enim subditis beneficium confertur singulare, si cum Domino regnante, sub cuius protectione & defensione degant, *Regali* simul frui possint.

Iustissima Aulæ Regiæ postulata tam clare nunc demonstrata sunt, ciuitatisque Gedanensis prætexti obtentus nihil



nihil plane valentes, tam perspicui redditi, vt huic scripto sine damno finis hic imponi potuisset.


Haud tamen abs re esse videtur, ad refutanda omnia, quæ adhuc supersint, dicti scripti argumenta in umbrata, exactius respondere.

Pagina huius scripti septima auctor dicit: *Hoc suo iure vsa est ciuitas, quoties ordinibus necesse visum, cum aliis rebus, tum mercibus maritimis ciuium, pecunias irrogare:*

Ad hæc solide respondetur; ciuitatem nunquam hoc iure, mercibus ciuium maritimis, cum quibus mercaturam faciunt, pecunias vel vestigial irrogandi, gauisam fuisse: Secundum Regis Casimiri priuilegium tantum ciuium mercibus *intra ciuitatem*, illiusque iurisdictionem, vbi eæ consumuntur, tributum, vel pecuniam subsidiariam irrogare potest. Quod si etiam ciuitas quam diutissime hoc opinato iure vsa fuerit, nulla plane inde consequentia confici potest, quod iure & secundum leges egerit. Demonstratum potius hic fuit, ciuitatem priuilegio Casimiri fuisse abusam.

Tempore *Stephani*, vti est suspicio, proprietas *zulagæ*, non ita, vt nostris temporibus, in aula nota fuit, & si Regis huius temporibus *zulaga* haud in fermonem venerit, non aliam inde pro ciuitate consequentiam inferre possumus, quam ciuitatem illo tempore *zulagæ* naturam aulæ occultasse, & illius respectu secreto percepisse, quæ hanc ob causam *zulagæ* cognitione vera caruit.

Temporis vero interuallum, inter *Stephanum*, & *Vladislaum IV.* Reges, interiectum, vectigal ciuitatis Gedanensis additum, seu *zulagam*, haud in pecuniam ciuium Gedanensium subsidiariam mutasse, probat Regis huius postulatam, cuius Ministri & Consiliarii iam veriorem, quam *Stephani* Regis, cognitionem assequuti sunt. Nulla



Nulla deinde ratio est, quæ argumento esse possit, *zulagam ad Reges nihil pertinuisse, quia ciuitatis ordines Zulagam decreuere, eandem aliquoties prorogarunt, minuerunt, & tandem a. 1595. abrogarunt, alias de eadem sine illorum (Regum) consensu, haud aliquid decerni potuisset.* Quasi hoc, quando subditi leges Dominorum suorum perfringunt, easque ad tempus perfringere desistant, argumento esset, subditorum actiones nihil ad legis latores pertinuisse.

Hoc argumentum pag. IX. tanquam exemplum eos confutans, qui hodie *zulagam* additamentum portorii vocant, in medium proferre non veriti sunt. Semel demonstratum fuit, *zulagam* natura sua esse vectigal, vel additionem portorii, ergo ciuitas Gedanensis nunquam ius habuit, sine Regum Poloniae scitu & voluntate, eam irrogare, & pro vsu suo percipere.

Fac ordines ciuitatis Gedanensis, in scitis Poloniae Regibus, sed ex consilio, scitu & voluntate ciuium prudentiorum, nouam vectigal sub nomine *Umgeld* mercibus, alijs in prouincijs & locis iterum vendendis, imponere, vel ciuitas hoc se tueri potest, quod nihil ad Reges pertineat, quia huius vectigalis, *Umgeld* dicti, nulla sit in portorii tractatibus mentio?

Vel ideo ius acquirit ciuitas, nouum hoc irrogatum vectigal pro suo vsu percipere, quando duo vel tres Reges eam haud statim ad reddendas, de nouo mercibus imposito vectigali, rationes cogunt?

Vel ideo non est vectigal, quia sub nomine *Umgeld* soluitur? vel hoc vectigal mutatur in pecuniam ciuium subsidiariam, quia magistratus edicta id tantum a ciuibus Gedanensibus exigere iubent, qui id iterum mercibus imponunt, & ab euentibus recipiunt?

Hæc omnia etiam de *zulaga* dici possunt, quam ordines sine consensu Regum, sed ex consilio, scitu & voluntate prudentiorum primariorum-

C

que



due ciuium, mercibus, iterum aliis in regionibus & ciuitatibus vendentis, imposuerunt, & re ipsa vectigal irrogarunt. *Zulaga* scilicet nihil pertinet ad Reges, quia illius in portorii tractatibus nulla fit mentio. Vel hanc ob causam ciuitas ius, vt sola *zulagam* percipiat, acquisiuit, quia Reges *Stephanus* & *Sigismundus III.* *zulagam* haud exegerent, & primum *Vladislaus IV.* & sequentes Reges?

Quis haud videt, meros esse prætextus, cum auctor dicti scripti vectigal additum disculpate velit, quod *Casimirus*, omnesque sequentes Reges, expressis verbis prohibuerunt.

Qui malam causam defendere susceperit, sæpissime in absurda et a sensibus hominum abhorrentia inducitur. Idem auctori pag. IX. accidit, cum dixerit: *Si etiam Stephanus zulagæ confors euassisset, ac in hoc eius ius Sigismundus III. successisset, quomodo Regibus his ignaris, ordines zulagam modo prorogare, modo minuere, tandem plane tollere, sicque suo arbitrio de reditibus regis statuere potuissent?*

Nemo certe vnquam dubitauit, ordines *zulagam* modo prorogare, tandem plane tollere, haud potuisse, si *Stephanus* confors *zulagæ* euassisset, ac in hoc eius ius *Sigismundus III.* successisset. Sed ex hoc, inuerso modo, neuiquam sequitur, quia magistratus cum ordinibus ciuitatis *Gedaniensis* decreta, *zulagam* concernentia, fecere, ergo *zulaga* ad Reges nihil pertinet. Vel iura Serenissimorum *Poloniæ* Regum, supremorum *Gedaniensium* Dominorum, a decretis magistratus cum ordinibus dependent? Quis tam absurde possit cogitare! Non habetur quæstio, quid factum sit, sed quid secundum Regum privilegia & terrarum *Prusiæ* leges fieri debuisset, et nunc secundum iustitiam omnino fieri debet.

Quando porro auctor summam rei attingit, *zulagam* nempe non esse vectigal, vix ac ne vix quidem scit, quæ in medium proferre debeat. Neque vectigal circumseribit, neque illius explicat proprietates, minime
opini-

opinionem præsumptam *zulagæ* et vectigalis differentiam demonstrat. Nervus totius demonstrationis his in verbis consistit: *Nique vectigalis vocabulum zulagæ convenit, nam vectigalia aut a solis peregrinis, aut promiscue a peregrinis & civibus solvuntur, minus tamen a civibus, quam exteris. Zulagam autem Gedanensem, non alii, quam soli mercatores, qui civis sunt, solvunt, licet qui non civis, merces mari recipiant, aut in transmarinas regiones dimittant, quas a civibus emtas ipsi civis apud cameram, ubi zulaga exigitur, profitentur, ac zulagam pendunt. Quare sunt cum omnium ordinum, tum magistratus decreta & edicta, quibus ab aliis, quam civibus, zulagam recipere vetatur.*

His in verbis totum commemorati scripti robur inesse debet, quæ igitur accuratius consideranda.

Auctor optime dicit, vectigalis vocabulum *zulagæ* non convenire, sed oblitus est adiicere *Gedani*. Ibi enim veritum est, sine Regum Poloniae scitu et consensu vectigal irrogare, id quod Gedanenses minime negant. Sed civitas Gedanensis iam ab antiquis temporibus vectigal sub nomine *zulagæ* mercibus, cum quibus mercaturam faciunt, imposuit, et hoc modo contra privilegium a Rege Casimiro civitati datum peccavit. Ergo vectigalis vocabulum minime *zulagæ* convenit, scilicet *Gedani*, *Varavia* vero nemo dubitat, quin *zulaga* sit vectigal verum.

Auctor porro longe aliam, quam omnes Europæ iure consulti, omnesque legis latores, qui vectigalia irrogarunt, vectigalis notionem habet. Quia auctor oblitus est, forte de industria, definitionem vectigalis suppeditare, ea hic addiicenda est. *Vectigal est tributum, quod propter merces aduectas vel euectas, cum quibus mercaturam faciunt, penditur, non ob merces, quæ pro usu proprio, vel ad exercendam agriculturam comparantur, l. 5. & 6. Cod. de vectig. & commiss. Dicitur etiam portorium in l. 3. c. d. t.* Cum igitur verum sit, *Gedanensium zulagam* esse tributum, quod propter merces per mare aduectas vel euectas, cum quibus mercaturam



faciunt, penditur, extra dubium positum est, quod *zulaga* verum sit vectigal ad portorium Gedanense pertinens.

Hoc certe vile argumentum, quando dicitur: *vectigalia aut a solis peregrinis, aut promiscue a peregrinis & ciuibus solvuntur, zulagam autem Gedanensem non alii, quam soli mercatores, qui ciues sunt, solvunt.* Nescio quo fundamento factum, vt auctor mercatores, ciues, *zulagam* Gedanensem soluentes, a ciuibus in oppositione peregrinorum distinguat. Si vectigalia promiscue a peregrinis et ciuibus solvantur, nil iuuat, mercatores, *zulagam* Gedanensem soluentes, a ciuibus distinguere. Nil enim ineptius esset, quam inde argumentum ducere, quod *zulaga* non sit vectigal, quia soli mercatores Gedanenses, qui ciues sunt, solvunt. Sequeretur enim ad proprietatem mercatoris ciuis Gedanensis pertinere, ne vllum vnquam vectigal solvat.

Ipsè auctor falsus est, mercatores non ciues per mare merces accipere et remittere, qui etiam *zulagam* Gedanensem, sed per ciues, solvunt. Sed quid hoc facit ad rem, quando Petrus, non ciuis, merces trans mare mittit, et Paulo ciui dicit: i ad cameram, et dic me a te hic descriptas merces emisse, quas trans mare in Hollandiam mitto, et solue pro me *zulagam*, en ad eam pendendam pecunia hic numerata. Quis soluit *zulagam* Petrus, vel Paulus? cui tandem fini, cum omnium ordinum, tum magistratus decreta et edicta, quæ ab aliis, quam ciuibus, *zulagam* recipere vetant, inseruiunt? huic, ne Reges Polonia, supremi Gedanensium Domini, credant, *zulagam* esse vectigal, quod Gedanenses haud decet irrogare. Sed in hoc valde errant. *Zulaga* enim semper manet tributum, ob merces aduectas vel euectas trans mare, cum quibus mercaturam faciunt, soluendum, eaque re vectigal verum, cuius proprietas nullo pacto immutatur, si id mercator ciuis, vel non ciuis, vel peregrinus, vel indigena solvat. In hoc enim vera differentia inter vectigal et cætera tributa consistit, quod vectigal re ipsa vltimus, merces emens

et

et pro usu suo consumens, solvat, cum cætera tributa, verbi gratia, pecunias civium subsidiarias, exactiones capitum, reliqua, possessores bonorum et ciues ipsi, propriis ex facultatibus, sine redhibitione pecuniæ solutæ, pendant. Cnm igitur clarius luce sit, Gedanensium *zulagam* esse tributum ob merces, cum quibus mercaturam faciunt, a civibus collatum, quod vltimus emens et pro usu suo consumens, re vera soluit, extra dubium est, *zulagam* esse vectigal, qua de re non amplius discipandum:

Quod tandem decretum Regis *Joannis III.* an. 1678. attinet, quo cum auctor scriptum suum admodum firmare, & plane falsas ex eo elicere consecutiones studer, monendum est, plane nihil id ad civitatis causam facere, ob rationes sequentes:

1) Rex in decreto suo dicit: *respectu autem zulagæ ad ulteriorem melioremque informationem, tam ex iuribus, quam ex hominibus istius rei notitiam evidentem habentibus capiendam deliberauimus, ac in aliud tempus declarationem in hoc puncto faciendam reiecimus.* Cum ergo Rex hoc in decreto dicat: se *zulagæ* negotium aliud in tempus distulisse, quo tandem modo in fine illius ipsius decreti, civitatis Gedanensis *zulagam* confirmare potest? Suspicio igitur non sine ratione oritur, verbum *zulaga*, in fine decreti (haud dici potest, quomodo hoc factum) contra sensum decreti & Regis intentionem interpolatum fuisse. Quod si enim Rex civitatis Gedanensis *zulagam* in fine decreti approbare voluisset, vel potuisset, nequiquam in illo ipso decreto supra dixisset: *respectu zulagæ in aliud tempus declarationem in hoc puncto faciendam reiecimus:*

2) Quod ad sequentem huius decreti locum attinet, in quo dictum est: *quia in usu civitatem hanc sub diuis antecessoribus nostris fuisse reperimus, ideo neque nos ulterius quicquam innouandum censemus, inhærendo privilegiis Serenissimorum Casimiri III. & Stephani Regum Poloniae,* auctor ex hoc lo-



eo concludere non dubitat, *zulagam* iam Casimiri temporibus notam fuisse, id quod tamen haud ad veritatem dictum, cum istis temporibus pecuniæ tantum civium Gedanensium subsidiariæ notæ essent, vocabulum autem *zulaga*, nondum vsu fuit receptum. Supra autem demonstratum fuit, quid pecunia civium Gedanensium subsidiaria illis temporibus significare potuerit, minus nihilo vero, hodiernam Gedanensium *zulagam*.

3) Aperte etiam falsum est, & sensus inversio, quando auctor dicit: *de zulaga solius Casimiri privilegia, scilicet de pecuniis subsidiariis, & privilegium Gedanensium; HAUPTPRIVILEGIUM dictum, agunt*. Minime hoc verum est. Nam Gedanensium privilegium principale, de iure etiam maritimo loquitur.

Sensus igitur erit sanus, & intentioni Regis Ioannis III. accommodatus, quando verba in dicto decreto ita nectuntur: *Respectu autem zulagæ &c. in aliud tempus declarationem in hoc puncto faciendam reiecimus, quantum ad Scharpau, & ius maritimum itidem expediendo deliberationem nostram, quia in usu civitatem hanc sub diuis Antecessoribus nostris fuisse reperimus, ideo neque nos ulterius quicquam innovandum censemus, inhærendo privilegiis Serenissimorum Casimiri III. & STEPHANI Regum Poloniae*. De iure maritimo agit Casimiri privilegium, *Hauptprivilegium* dictum, de Scharpau autem Stephani Regis. Sic ultimus Regis Ioannis III. decreti locus, sensum haud dubium, & Regis intentioni consentaneum, omisso vocabulo *zulaga*, retinet, qui sine hoc minime quadrat, quia Rex iam supra *zulagam* excepit, & in aliud tempus declarationem in hoc puncto faciendam reiecit.

Sic Regis Ioannis III. tam validum, ex auctoris opinione ad firmandam Gedanensium *zulagam*, testimonium, per dictas res circumstantes nimium debilitatur.

Fac autem, vocabulum *zulaga* in fine decreti, quamvis contra verborum sensum & Regis intentionem, non fuisse interpolatum, quæritur: Num privilegium, contra Regni & terrarum Prussiæ leges datum, nec non



non Regum præcedentium privilegiis contradicens, subsistere possit, & si non potius abrogari debeat?

Nemo hoc inficias ibit. Tam multa enim habemus exempla, quod Reges ipsi priuilegia sua contra leges obtenta abrogarint. Cum autem res vera sit, Gedanensium *zulagam* vectigal esse maritimum, nullus Rex contra Regni Poloniæ & terrarum Rrussiæ leges, nec non contra Regum suorum decessorum privilegia, sine Regum sequentium & Reipublicæ ipsius præiudicio, dictam *zulagam* confirmare potuit.

Ex his omnibus manifestum est, ciuitatem Gedanensem privilegio Casimiri abusam fuisse, cum sub alio nomine, contra leges, vectigal mercibus maritimis imposuerit perceperitque, & hanc ob causam ad reddendas de percepta *zulaga* rationes, & ad restituendam huius percepti vectigalis summam ad minimum dimidiam, ex tractatus portorii mente, ab Aula Regia Polona iustissime adigitur.

Summâ Serenissimi Regis Nostri iustitiâ clementiaque, toti Europæ nota, & ciuitas Gedanensis adhuc frui potest, si in tempore, satisfaciendo iustissimis postulatis, debitam præstet obedientiam.

Quod si vero, nulla plurium transactionum amicabilium habitâ ratione, porro renitatur, refractariaque sit, tunc magistratus cum ordinibus sibi imputare debent, si tandem Aula Regia ad obtinenda iustissima postulata validissimis vti mediis debeat.

EX TYPOGRAPHIA REGIA MIZLERIANA.

Libellus cuius inscriptio: *Veſtigal portus Gedanenſis dimidia ex parte Sereniſſimis Poloniae Regibus aſſertum, ſimul ſcriptum ciuitatis Gedanenſis ſub titulo: Zulağa Gedanenſium ciuitati ab Ordinibus aſſerta, ſolide reſutatur*, quatenus typis mandetur Varſaviae facultatem concedo. Datum Konſciis 20. Octobris 1761.

J. MAŁACHOWSKI
Supr. R. Pol. Cancell.

mpr.



XVIII. 2. 889.

X

XVIII.2.889